

2 d

## IUDICIA QUINQUE ORDINUM

IN REG. UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

### DE CERTAMINIS LITTERARII EVENTU

ANNI MDCCCXXXVII. DIE III. AUG. ENUNCIATA

ATQUE NOMINA EORUM, QUI PALMAM TULERUNT ET PRAEMIO AUT PRAEMII PARTE  
ORNATI SUNT.

**O**RDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM quaestionem *de posteriori parte vaticiniorum Zachariae* proposuerat, atque ut recentiorum auctorum de hoc argumento disputationes conferrentur et diligenti crisi subiicerentur, requisiverat.

Prodierunt scriptores duo. Unus cum symbolo ab Augustino repetito: *Non enim fructus est bonus, qui caritatis radice non surgit.* Is quidem potiorum aliquot auctorum sententias satis perspicue recensuit, sed hoc in negotio cum subsisteret et authentiae assertores pronus sectaretur, proprii accuratique iudicii fere nihil ad quaestionem solvendam attulit.

Alter cum symbolo e *Deuteronomio cap. XII. v. 32.* desumto. Hic illum magno intervallo post se reliquit. Adhibuit quaestioni diligentiam plane laudabilem, rerum etiam cognitionem probavit et ingenium ad critica negotia non ineptum. Sic, si non optima, non contemnenda tamen ad causam, quae agitur, eaque *de suis* attulit. Ac prope aberat Ordo ab addicendo ei praemio. Nec consilium mutasset quaedam, qua auctor laborare videtur, in vituperandis adversariis festinatio et temeritas; sed deterruit Ordinem iterum iterumque ingens dictionis vitiositas, tamque incomposita quam obscura styli ratio; nec sine dolore hunc quoque certatorem alias laudabilem praemio excludendum esse iudicavit.